Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 199
Quelle:
Copyright:

hortatorius. ſeu laudatiuus. ſeu hyſtoricus. uel quocunque modo fiat. ſemper fit cooperatione trinitatis &c.

LXXXII. VII B. 12

89 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 165. ejusdem cum priori praeſtantiae eſt *Pars II. Exegeſeos de Pſalmorum Libro*, pertingitque a *Pſalmo* LXVIII. usque ad finem. Initium eſt: *Saluum me fac Deus. In finem. pro his qui commutabuntur* &c. Ultima Codicis: *Nos quoque quia laboris magnitudinem terminauimus. in ſpiritu dominum laudemus.*

Durent ſcriptoris cum laudibus expoſitoris.
Aut quicunque legis opus hoc utriusque memor ſis.

Impreſſus eſt Commentarius hic *Opp. Ven. Bedae* T. VIII. *edit. Colon.* 1688. a *col.* 308. f. ſed *Oudinus* T. I. *col.* 1706. genuinum *Bedae* foetum eſſe negat, *Mabillonius* in *Act. SS. O. S. B. Sec.* III. P. 1. p. 555. in dubiorum ſaltem claſſem rejicit. Quidquid demum ſit, eliminanda eſt in *edit. ſuprac. col.* 884. *Nota* illa, qua monentur Lectores, *Bedam* morte praeventum Commentarios hoſce non niſi ad *Pſal.* CXXI. perduxiſſe. Nam, ubi *Codex*, quo Colonienſes uſi ſunt, imperfectam deſerit ſententiam: *In qua delectatione* ***, noſter a *fol.* 145. proſequitur: *uel in atriis tuis inſtantes erant pedes noſtri id eſt affectiones noſtre nimis erecte ſunt* &c. atque ſic Explanatio eodem tenore usque ad ultimum *Pſalmum* decurrit; quam proinde Commentariorum partem typis hactenus nunquam prodiiſſe putem.

Ceterum *Codici* noſtro praetextum eſt folium ſec. ut opinor, XIII. exaratum et particulam *Libri IV. Aeneid.* a v. 78. ad v. 294. complexum; ad calcem vero illius ſequens *Traditionis* formula legitur: *Notum facimus tam preſentibus quam futuris. quod uidua quedam. Juta nomine. terciam partem uineę cuiusdam. ſuper aram S. Georii potenti manu delegauit. uiro ſuo Geroldo nomine uiam uniuerſe carnis ingreſſo. delegauit autem conſentiente nepote ejus Alberto. Huius rei teſtes ſunt ex fidelibus huius eccleſie. Chunradus. iudex. Rubertus cum fratre ſuo. Ebergerus. — — Hainricus. Wirſingus. Fridericus.*

LXXXIII. VIII. G. 7.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 169. 4. nitide exaratus, olim, ut ad calcem habes, *Sancte Marie in Wilberingen*, quod eſt Coenobium Ord. Ciſt. *Auſtriae* ſupra *Anaſum*, complectitur *Commentaria in totum Pſalterium* a nemine, quod ſciam, hactenus prodita, quorum initium: *Beatus vir. Materia huius libri eſt chriſtus integer caput cum membris. de quo agit propheta hoc modo. Loquitur enim aliquando ſimul de toto.* 584